

F. II.



/039.

EPISTOLA PASTORALIS

AD CLERUM

ET

POPULUM UNIVERSUM

BENEVENTANAE DIOECESEOS



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA MENICANTI

MDCCCXXXXIIII.

DOMINICUS

S. R. E.

PRESBYTER CARDINALIS CARAFA DE TRAJECTO

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS BENEVENTANUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, ET DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS ORDINI CANONICORUM, ANIMARUM CURATORIBUS, UTRIQUE CLERO, OPTIMATIBUS, POPULOQUE UNIVERSO DIOECESIS SUAE

PACEM, ET SALUTEM A DOMINO SEMPITERNAM

SI Vobis fortasse mirum, *Venerabiles Fratres*, *ac Dilectissimi in Christo Filii*, mihi certe nihil tam praeter omnem opinionem, cogitationemque accidit, quam ut singulari GREGORII XVI. Pont. Max. beneficentia, et voluntate in amplissimum Patrum Cardinalium Collegium cooptatus animarum vestrarum Episcopus constituerer. Quod quidem, ubi primum accepi, haud potui, fateor, quin pro rei gravitate vehementer expavescerem, et contremiscerem. Etenim memoria repetens, quae Paulus, Sanctique Ecclesiae Patres de pastorali officio commemorant, docent, atque omnino praescribunt, plane noveram hujusmodi munus nihil aliud esse nisi ingentem ministerii molem, et opus plenum timoris, plenum sollicitudinis.

Atque id si semper alias, quanto magis asperrimis hisce christianae reipublicae temporibus, cum nova quaedam atque effrenata opinandi, scribendique licentia e tenebris ad exitium et vastitatem emersa liberius in dies mores usquequaque corrumpere jura quaeque divina, et humana dissolvere, ac teterrimum catholicae religioni bellum inferre, eamque si fieri umquam posset, labefactare, immo funditus evertere conatur. Iam porro ex tam ardui, atque impediti officii ratione oculos in me convertens, meque totum pertentans, equidem non potui, quin majore etiam timore percellerer. Infirmitatis porro meae conscius, ea doctrinae supellectile, eoque virtutum ornatu me plane destitutum sentiebam, quae ad episcopalis muneris partes rite obeundas vel maxime requiruntur.

Accedit, ut ejus ego Urbis sim renuntiatus Episcopus, quae non modo originis vetustate, famae celebritate, aliisque tot sane nominibus, ac praesertim Maximorum Pontificum Felicis IV. Victoris III. et Gregorii VIII. ortu est perinsignis, verum etiam vel ab ipsis christianae religionis primordiis ad nostram usque aetatem sortita est Antistites doctrinae, virtutis, et sanctitatis laude praestantissimos, quos hic singillatim non commemoro, siquidem vos ipsi probe noscitis. Silentio tamen praeterire non possum gentilem meum Vincentium Mariam Cardinalem Ursinum, qui deinde Benedictus XIII. Pont. Max., Beneventanam Ecclesiàm tanta cura ac vigilantia fuit moderatus, cujus memoria omnibus sane jucunda, vobis vero ob maxima et plurima in vos promerita semper jucundissima. Qua quidem ex re, quamvis non levi, ut par est, voluptate perfundar, quod in tam insigni, ac talibus viris illustri Sede sim collocatus, non parum tamen doleo, et angor quod tam dispar illis, immo nullo modo cum iis comparandus.

Haec omnia mecum ipse reputans, tantum fortasse munus defugere studuissem, nisi illius voci et voluntati mihi omnino acquiescendum esse putassem, qui in sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocatus tam provide, tamque sapienter Christi Vicariam hic in terris gerit operam, quem ego non modo Principem beneficentissimum, verum etiam Parentem vere amantissimum semper expertus. Ipse enim Pontifex vere Maximus mira illa humanitate, ac sermonis suavitate, qua omnium animos recreare, reficere, rapere solet, me tantopere metuentem ac prope fractum hilaravit, erexit, bonoque animo esse jussit, ac simul omnem in eo spem ponere, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, quique numquam deserit quaerentes se.

Ita recreatus aliquantulum, et confirmatus ac jactans omne cogitatum meum in Domino, qui vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt, quique numquam despicit preces humilium, sed inclinat aurem suam ad preces eorum, humeros oneri subjiciendos statui ea profecto spe fretus fore, ut dives in misericordia Deus, qui *elegit me* Pastorem *populo suo, et dixit me aedificare templum suum, idem mittat etiam sapientiam de caelis, quae mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud eum* (1).

Hac igitur spe vix dum manuum impositione, et mystica sacri chrismatis unctione accepta ab Emo Principe Vincentio Macchio Episcopo Portuensi, S. Rufinae, et Centumcellarum, quem honoris et grati animi caussa nominatum hic volo, hanc pastoralem epistolam raptim perscriptam vobis dandam curo, ut quam citissime intelligere possitis, quae mea in vos voluntas. Ac primum singulos quosque salutans in osculo sancto, et tamquam filios jam mihi in Christo

(1) Sapient. cap. IX. v. 7. 10.

carissimos complectens, vobis quidem ex animo gratulor, mihi vehementer gaudeo, quod sciam vos memores tot praestantium Praepositornm vestrornm, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, ea semper egregia pietatis, et religionis praebuisse argumenta, ut neque doctrinis variis, et peregrinis abducti, neque decepti per Philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, non secundum Christum, in fide fundati, semper et stabiles permanseritis. Huc porro cum accedat et singularis vestra morum humanitas et praeclara ingenii, et virtutis indoles, dici profecto vix potest, qua volnptate perfundar, et in quam prope certam spem ingrediar fore, ut Pastoris vestri voci faciles praebeatis aures, ejusque monita perficienda curetis. Quo quidem nihil optatius, nihil gratius animarum Pastori contingere umquam potest, mihi vero maxime, qui lenitatis, et mansuetudinis partes ab ipsa natura haustas libentius obenndas existimavi. Neque enim vel transversum quidem unguem ab Sacrosanctae Tridentinae Synodi monitis discedam ut animarum Pastores ex Apostoli praescripto *arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas* (1).

Itaque veniam mihi credite ad vos non jam tamquam dominans in Cleris, sed tamquam Pastor, immo Pater amantissimus, nihilque mihi nmquam potius erit, quam ut ipse requiram oves meas, et visitem eas et pascam in montibus Israel, in rivis, et pascuis uberrimis, ut ibi requiescant in herbis virentibus. Quod si quid infirmum reperiam, omnem dabo operam, ut consolidem, si quid confractum, ut alligem, si quid abjectum, ut reducam, et si quid

(1) Sess. XIII. cap. 1. de Reform.

periit, ut quaeram, semper tamen, quantum officii ratio sinet, in patientia, in mansuetudine, in lenitate. Neque aliter possem, Pastorum Principis exemplum intuens, qui se *humilem* et *mitem corde* professus est, quique tradidit animam suam pro ovibus suis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Quid igitur mihi vel tam molestum, vel tam arduum accidere posse putem, quod tanto objecto exemplo ferendum, expediendum, providendum pro credito mihi grege omni ratione non curem? Ita quidem mente agito, ita in animo fixum teneo, nullis ut neque curis, neque consiliis, neque laboribus, neque vigiliis parcam, dum animarum vestrarum rationibus diligentissime consulam, ac libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris. Utinam qui dat mihi nunc velle, det etiam in tempore perficere, ut Pastorum Principi villicationis meae rationem aliquando exigenti respondere possim. *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Atque hic fortasse scribendi finem facerem, nisi et instituta consuetudo, multoque magis caritas Christi, quae urget me ad singulos quosque civium ordines alloquendos impelleret. Itaque primum omnium sermonem ad vos converto *amplissimi Cathedralis Templi Canonici*, qui honoris dignitate ceteris praestatis. Estis quidem vos Episcopi Senatus, et consiliarii, itemque selecti lapides Sanctuarii, et lucernae ardentes positae super candelabrum in Templo Domini. *Memores* porro *nominis atque institutionis vestrae, ea pietate, et assiduitate divina officia colite, ut alii vestro exemplo ad studium, et amorem divini cultus accendantur* (1). Si qua forte inter vos contentio, si qua aemulatio, non alia profecto sit oportet, quam ut diligatis praeter ceteros decorem domus Dei, omnique

(1) Concil. Mediolan. Prov. 1. par. 2.

virtutum apparatu in dies refulgeatis. Cum autem sapientia, ac prudentia non parum polleatis, non dubito quin me pastoralibus curis districtum, et laborantem qua consilio, qua opera adjuvetis. Adjuvabitis autem quam maxime *si non discordiam modo* fugiatis, *verum etiam quos discordantes inveneritis, ad caritatis concordiam revocare studebitis* (1).

Quid autem vobis dicam *Collegialium Templorum Canonici.* Nempe illud ipsum, quod jam Canonicis Templi Cathedralis, ut nempe *attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes concelebretis, et psallatis Deo in conspectu Angelorum cantantes in cordibus vestris Domino* (2).

Quam vellem nunc ut intimos animi mei sensus ita vobis aperire possem mihi probatissimi, iidemque semper carissimi *animarum Curatores* ut quisque vestrum penitus intelligeret quibus studiis singulos prosequar, qua benevolentia complectar! Vos enim in pastoralis sollicitudinis partem cooptati consocii estis, et commilitones mei. Vestrum est, ut probe noscitis, gregem vobis commissum ab venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, et continenter vigilare, excubare ne quis aper de silva, vel singularis ferus furtim in ovile subrepat, et dirae contagia pestis ovibus importet, easque mactet, et perdat. In quo quidem majore studio, et assiduitate vobis nunc elaborandum, quod incidimus in tempora pessima, et infesta virtutibus, cum non pauci reperiantur, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Qua de re ne cessetis umquam praedicare Evangelium sapientibus et insipientibus, omnesque exhortari in doctrina sana, ut christiana

(1) Concil. Aquisgr. DCCCXVI.
(2) Concil. Mediolan. Prov. IV. part. 3. in monit.

plebs Dei mandata, morumque disciplinam apprime edocta, instet viam quae sola ducit ad vitam. Dispensatores porro cum sitis mysteriorum, et multiformis gratiae Dei, assiduam precor date operam Sacramentorum administrationi, ut et errantes e via iniquitatis, in quam misere abiernnt ad salntis semitam revocare, et eos, qui justitiam jam sectantur, et diligunt magis magisque confirmare possitis. Cum autem non civilis minus, quam christianae reipublicae summopere intersit, ut pueri vel a teneris annis fidei rudimentis, et religionis praeceptis mature imbuantur, sinite quaeso, ut per viscera Jesn Christi vos orem, et obsecrem, ut Redemptoris nostri objecto exemplo, facti vos etiam parvuli in medio eorum, studio quam licet maximo, et patientissimo animo contendatis quo tenerae illornm mentes christiana doctrina crudiantur, et cerea eorum corda ad omnem virtutem, atqne honestatem fingantur. Numquam vos pigeat orfanis, viduis, egentibus pro re et tempore opem ferre, et confortare pusillanimes, ac saepe visitare infirmos, eosque omnibus Ecclesiae praesidiis munire, quo facilius ipsi cum morte jam collnctantes, Daemonis insidias retegant, ejusque tela devitent. Haud ignoro haec, et cetera omnia, quae officii vestri ratio postulat, longe laboriosissima, et molestissima esse, sed sustincte paullisper, et confortamini in Domino memoria repetentes, quod *qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates* (1).

Sacerdotes Levitae et quotquot ecclesiasticae militiae nomen dedistis, illud ipsum vobis dicam, quod olim dilecto Timotheo Apostolus: (2) *Exemplum estote fidelium in verbo, in conversatione,*

(1) Daniel. XII. v. 3.
(2) I. ad Timoth. IV. v. 12.

in caritate, *in fide*, *in castitate*, ut non modo qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de vobis, verum etiam christiana plebs in vobis incitamentum habeat ad omnem amplectendam virtutem. *Nihil* enim *est* ut sapientissime monet Tridentina Synodus, *quod alios magis ad pietatem*, *et Dei cultum assidue instruat*, *quam eorum vita et exemplum*, *qui se divino ministerio dedicarunt* (1). Et certe qua morum integritate, qua vitae sanctitate vos undique coruscare oportet, quibus datum est non solum tractare vasa Domini, aut ingredi Sancta Sanctorum, verum etiam offerre Deo hostiam puram sanctam immaculatam pro vestra, ac totius humani generis salute, quique tum publicis tum privatis precibus orare continenter Deum debetis, ut et divina auxilia ad vestra munera rite obeunda, et peccatorum veniam populo impetrare possitis? Cum autem Sacerdotum labia custodire debeant scientiam, ut respondere possint iis, qui legem requirunt ex ore ipsorum, nolite precor quotquot Sacerdotio jam initiati, non modo qui adhuc initiandi, nolite inquam doctrinarum studia umquam intermittere, earum praesertim, quae ad sacrum pertinent ministerium. *Divinas Scripturas saepius legite*, *immo numquam de manibus vestris sacra lectio deponatur*, *discite*, *quod doceatis*, *obtinete eum*, *qui secundum doctrinam est fidelem sermonem*, *ut possitis exhortari in doctrina sana* (2) et eos qui contradicunt, arguere. Suscepti vero muneris ratio vos vel maxime adhortatur, ut non solum a cultu, ornatuque corporis, a civilibus negotiis, a quaestu, a communis vitae delinimentis, et aliis quibusque mundi illecebris declinetis tamquam a facie colubri, verum etiam

(1) Sess. XXII. de Reformat. cap. I.
(2) Hieronym. Epist. II. ad Nepot.

virtutum splendore omnibus praeluceatis, hoc enim facientes et vosmetipsos salvos facietis, et eos, qui vos audiunt.

Numquid tacitus vos praeteream *Adolescentes Clerici*, filioli mei carissimi, qui in Seminario diligentem navatis operam ut in Ecclesiae castris aliquando militare possitis? Immo intimo paternae caritatis affectu vos alloquor, quippe qui estis tota spes gregis, tenella arbusta, et novellae plantationes in circuitu tabernaculi Domini, ac pupilla oculi mei. Obedite quaeso alacri libentique animo iis omnibus, qui vos ad virtutem fingere, et doctrinis excolere student. Nihil vero vobis potius sit, quam ut vitae innocentiam, morum integritatem, modestiam, verecundiam semper custodiatis atque amoenioribus litteris, severioribusque disciplinis praesertim sacris diligentissime erudiamini, ut possitis in tempore vineam Domini optime excolere.

Alloquor jam vos *Venerabiles Religiosarum Familiarum Alumni* quos singulari semper benevolentia et honore dignos existimabo. Vos quidem lectissimi estis Christi milites, Sanctorum Filii, quos virtutum exempla, et doctrinarum copia adeo commendarunt, atque commendant, ut Christiana Respublica vestro et ornamento, et praesidio merito glorietur. Nihil aliud vobis dicam, nisi ut memores vocationis vestrae, Deo uni semper adhaereatis, atque illustria Patrum vestrorum vestigia sectantes aemulemini charismata meliora. Vos vero obsecro, ut nihil omnino praetermittatis, quod ad aliorum pertinet salutem, atque alacriori usque studio me, et gregem meae fidei concreditum qua opere, qua verbo, qua precibus semper adjuvare velitis.

Virgines Deo Sacrae selecta pars gregis atque aurea Ecclesiae monilia vobis quidem ex animo gratulor, quod regnum mundi et

omnem ornatum saeculi viriliter contemnentes, tamquam simplices columbae convolastis in solitudinem, ut in foraminibus petrae, et in caverna maceriae arctius adhaereretis sponso, qui pascitur inter lilia, quique vocavit vos vocatione sua sancta, et sponsavit in fide, in justitia, in misericordia, in miserationibus. Currite igitur in odorem unguentorum suorum, quaerite dilectum in solitudine, tenete eum, nec dimittite, loquimini ad eum, effundite coram eo corda vestra, ut ea magis magisque purissimo caritatis igne inflammet. Ambulate in domo Dei cum consensu, quasi cor unum, et anima una, ut unanimes probetis vos caelesti sponso, qui tandem introducat vos in aeterna tabernacula. Id quoque vos obsecro, ut in diurnis aeque ac nocturnis precibus memores mei sitis, ut Deus eo caritatis igne me inflammare dignetur, quo praestem ministerium salutis, et consummem cursum meum.

Atque hic honoris causa vos nomino *spectatissimi Magistratus* et rerum pubblicarum *Administri*, tum etiam *Optimates* et omnes qui generis nobilitate, honorum gradu, et divitiarum copia ceteris antistatis. Mihi certe nihil optatius, nihil praestabilius obvenire umquam poterit, quam ut vos omnes uti honore et dignitate, ita etiam virtntum omnium ornatu refulgeatis, quo christiana plebs a vobis petat exempla, quae imitetur. Diligite quaeso justitiam, et aequitatem, ac recta semper judicate absque ulla persouarum acceptione, atque adjutores estote pupillis, viduis, et miseris. Nolite umquam avertere oculos vestros a paupere, atque occludere aures a clamoribus ejus, sed auxiliarias ei semper porrigite manus, *foeneratur enim Domino, qui miserebitur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei* (1). Quae cum omnia feceritis, tum

(1) Prov. xix. v. 17.

denique thesaurizabitis vobis thesaurum numquam deficientem in caelo.

Quid jam mihi restat aliud, nisi ut vos omnes alloquar *dilectissimi in Christo Filii* cujusque tamdem ordinis, aetatis, sexus, et conditionis. Estote precor, dicam primum, dicam etiam iterum et saepius, fortes in fide, sine qua impossibile est placere Deo; neque umquam decipi patiamini a *fabricatoribus mendacii*, *et cultoribus perversorum dogmatum*, qui tamquam fluctus feri maris despumantes confusiones suas quaecumque ignorant blasphemant, et veluti cancer serpunt. Cum vero fides sine operibus mortua sit in semetipsa, iccirco fides vestra ea sit oportet, quae per caritatem operetur, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Quod tum certe praestabitis si singula Dei mandata religiose servanda curetis: *quicumque enim totam legem servaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus.* Nihil igitur vobis potius umquam sit, quam ut Deum diligatis ex toto corde vestro, et proximum vestrum sicut vosmetipsos, in his enim duobus mandatis tota lex pendet, et Prophetae. Filii obedite parentibus vestris in Domino, et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in correptione Domini. Viri diligite uxores vestras in Domino, et nolite esse amari ad illas, et vos uxores diligite unaquaeque virum vestrum, eumque timete, quia vir caput est mulieris. Omnes autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habete, quia caritas operit multitudinem peccatorum, ut nemo supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, neque fraudet operarios eorum mercede, aliaque hujusmodi agat, quae omnia abominatur Dominus, qui vindex de his est. Super haec subditi estote non solum propter

iram, sed etiam propter conscientiam Potestatibus sublimioribus, reddentes omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. *Non est* enim, clamat Paulus, *potestas nisi a Deo*, *qui potestati resistit*, *Dei ordinationi resistit*, *qui autem resistunt*, *ipsi sibi damnationem acquirunt* (1). Pavete quaeso ad templum Sanctum Dei, sanctificate Sabbata Domini, ut non modo nihil servile diebus festis exerceatis, verum etiam illos Sacramentorum usu, caelestium rerum commentatione, aliisque piis operibus celebretis, unde dici rectissime possit eos vos traducere tamquam dies divino cultui potissimum dicatos. Omnis autem amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, omnisque immunditia, aut avaritia, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctas. At vero induite vos sicut electi Dei viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, ac solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, uno verbo quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.

Jam vero cum non possit homo accipere quidquam nisi fuerit ei datum de Caelo, atque omne datum optimum et omne donum perfectum descendat a Patre luminum, vigilemus, et orationi continenter instemus oportet, ut Deus qui dat omnibus affluenter, det etiam nobis auxilia in tempore opportuno. Dum autem accedimus ad Thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, quo facilius Deus ipse annuat votis nostris, deprecatricem apud Deum adhibeamus Deiparam Virginem, quae Mater Dei, et nostra, et

(1) Ad Rom. cap. XIII. v. 1. 2.

simul misericordiae, et spei maternum in nos gerit animum, et cui in caelum evectae Cathedrale Templum dicatum. Suffragia quoque petamus S. Bartholomaei Apostoli, Sanctorumque Episcoporum Januarii et Barbati, itemque Caelitum omnium, illorum maxime, quorum mortales exuviae tam pie, et religiose apud vos asservantur.

Interea vero dum orationes vestrae innotescant apud Deum pro omnibus hominibus, praesertim vero pro iis, qui in sublimitate sunt, obsecro, ut numquam cessetis assiduas fervidasque fundere preces pro GREGORIO XVI. Pontifice vere Maximo, ac Principe Optimo Beneficentissimo, ut quem Deus arcano suae providentiae consilio elegit, ut luctuosissimis hisce temporibus Ecclesiae navem tot undique jactatam fluctibus, tot actam procellis, tanta animi magnitudine, tanta providentia, tanta sapientia gubernaret, idem ipse Deus non modo magis, magisque eum confirmet, roboret, ac totius christianae reipublicae bono quam diutissime servet incolumem; verum etiam affatim impleat omnes petitiones ejus, cjusque consilia confirmet.

Deinde pro Emo Viro Vincentio Macchio Episcopo Portuensi S. Rufinae, et Centumcellarum, qui virtute, doctrina, aliisque sane nominibus cuique probatissimus, ac de re christiana, et civili summopere meritus, mystica sacri chrismatis unctione me perbenigne perfundit.

Neque immemores mei estote, sed precamini pro me Deum, ac Dominum Nostrum Jesum Christum, ut detur mihi sermo in aperitione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, ut caritas Christi magis in dies urgeat me, pro certo habentes, quod sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis,

ut Deus effundat super vos spiritum gratiae, et precum, atque ita ambuletis in viis, et mandatis Domini.

Haec sunt *Ven. Fratres*, *et Dilectissimi in Christo Filii*, quae pro re et tempore vobis scribenda putavi. Spero autem me quamprimum venturum ad vos, siquidem desidero videre vos, qui estis jam gaudium, et corona mea, ut os ad os loquar, atque aliquid impertiar gratiae spiritualis ad confirmandum vos, idest simul consolari in vobis per eam, quae invicem est fidem meam, et vestram. Antequam vero vobiscum colloquendi finem faciam, non possum quin singulis quibusque vestrum benedictionem ex animo peramanter impertiam ac Deum simul obsecrem, ut vobis cuncta prospera, et salutaria largiatur, utque *pax Dei, quae exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, et gratia Jesu Christi, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*. Amen.

Datum Romae extra portam Caelimontanam III. Idus Augusti An. MDCCCXXXXIV. ipso die consecrationis nostrae.





F. II.